



DE UNICORNU. 33

& si credimus divinanti *Artemidoro* l. 1. Oneir. c. 41. cornua in somniis habere adnata animalis violenti, ἐπάγει βιαιῶς θανάτους, ut plurimum decollationem, quæ his animantibus solet evenire. Unde forsan Boves in somno videre malum portendit apud *Astrampsychem* in *Jambicis*. Quamquam ex arietis cornubus in capite per quietem enatis dignitatem & pugnam adversus hostes auguretur c. 242. *Achmetes F. Setrim* ex *Bibliotheca Regia à Rigaltio* editus. Adeò hæc nihil nisi somnia.

In Cornuum Curatione omninò ad insertionis modum attendendum. Nam si ex cute interiori tantum connexionem emergant, faciliorem manum experiuntur; sin cranio arcta connexionem jungantur, majoris negotii res erit; si denique ex cranio & medullari cerebri substantia componantur, curationis pœnam morte luunt, ut *Amatus* Cent. 1. Cur. 51. advertit. Respicienda quoque cornuum diversitas. Leviora enim mite auxilium, duriora gravem medentis

B 5 ma.